

VEN. PAULUS MARIA QUARTI
CLERICUS REGULARIS

**TRACTATUS IN LAUDEM
SS. ROSARII**



CRACOVIAE 2021

www.ultramontes.pl

INDEX

	Str.
I. De nomine Rosarii	3
II. De auctore Rosarii	4
III. De partibus componentibus Rosarium	5
IV. De sacro numero et convenienti dispositione earundem partium Rosarii	6
V. De mysteriis ineffabilibus recolendis in recitatione Rosarii	8
VI. De utilitate et copiosis fructibus Rosarii	9



TRACTATUS IN LAUDEM SS. ROSARII

VEN. PAULUS MARIA QUARTI

CLERICUS REGULARIS

Inter auctores antiquiores, qui de Ss. Rosario calamum moverunt, vix quisquam tam pulchre et diserte nec non tam breviter de excellentia Ss. Rosarii scripsisse videtur, quam doctissimus Paulus Maria Quarti, Clericus Regularis Andriensis, in libro suo, qui titulum habet: "Biga Aetherea, duplici sacro Tractatu rapiens in coelum animos. In primo agitur: «De Processionibus ecclesiasticis» etc. Editio altera, prima in Germania, Coloniae Agrippinae, anno 1672 typis mandata". Quod opus cum nostris temporibus raro inveniatur neque sine difficultate ad promptum sit, reproductio huius discursus certo nemini displicebit, praesertim cum totus discursus, sicut auctor ipse eum vocat, sit punctum solummodo. Est "Punctum duodecimum Sectionis II: De Processione Ss. Rosarii", in quo paucis verbis praemissis agitur de iis, quae sequuntur.

I.

De nomine Rosarii

In primis hic advertendum, hanc precum devotionem communiter appellari "Rosarium" summa metaphora a rosis assumpta. Nam sicut rosae inter flores hortorum mirifice excellunt et primum obtinent locum ob eximium earum decorem coloresque decoros, ob odoris fragrantiam et salutare effectus, quos causant, ita Rosarium inter omnes devotiones primatum obtinet ob insignes praerogativas, quibus refulget; praesertim autem rosae ob suam fragrantiam sunt typus et symbolum tum sacrarum precum et orationum ad Deum, tum ornatae et gratae eloquentiae insignium oratorum apud homines, quasi tot rosae ex eorum prodeant ore, quot conceptus et sententias proferunt; unde manavit proverbium: "Rosas loqui". Hinc in re nostra rosae significant sacras, quas fundunt fideles pie recitantes Rosarium, preces, ex quibus contexitur sertum seu diadema ad ornatum capitis Deiparae, virginum Reginae; corona enim florum et rosarum maxime congruit virginibus. Porro non semel – ex auctoribus gravioribus – visae sunt ex ore Salutationes Angelicas recitantium rosae prodire, quas Angeli colligentes Mariae obtulerunt pro diademate.

Merito quidem; cum enim Dei Genitrix sit Regina coeli et terrae, Angelorum et hominum, tamquam Regina coeli stellis coronatur (Apoc. 12), hoc est privilegiis et insignibus coelestibus et Angelorum, quorum obsequiis colitur; insuper ut hominum et terrae Regina coronatur rosis, quae sunt veluti stellae terrarum, hoc est: praerogativis omnium iustorum omniumque obsequiis et laudibus celebratur.

Ut evidentius appareat excellentia et dignitas huius devotionis, quae Rosarium appellatur, discurrendum est supra praecipua capita, ex quibus colligi solet cuiusque rei excellentia et sublimitas, videlicet ex auctore, ex partibus componentibus, ex numero earundem partium, ex mysteriis, quibus refulget, et tandem ex fructibus, quos parit etc.

II.

De auctore Rosarii

. . . Devotionem Rosarii revelatam primo fuisse a Dei Genitrice Maria sanctissimo Patriarchae Dominico, Praedicatorum institutori, ex Bulla Pii V. *Consueverunt* etc. sat constat, atque adeo Rosarium suam originem ducit a Virgine Maria et a S. Dominico, consequenter omni studio et devotionis ardore addiscendum et recitandum.

Primus namque discendi ardor secundum S. Ambrosium (lib. 2. de Virgin.) "nobilitas est magistri. Quid autem nobilius Dei Matre? quid illustrius ea, quam Splendor elegit?". Haec ille. Adde, quid illustrius inclyto Patriarcha Dominico post Dei matrem, quem ipsa Dei Genitrix sole splendidior in suum electum et dilectum discipulum praelegit et hac sublimi revelatione dignata est atque divinas preces Rosarii edocuit, ut ipsemet Dominicus eis uteretur ad profligandas haereses et cordibus fidelium easdem imprimeret in obsequium gratissimum revelantis Deiparae.

Maria igitur has mysticas rosas plantavit, Dominicus rigavit, Deus autem incrementum dedit. Maria dictavit hoc insigne opus Rosarii, Dominicus conscripsit et evulgavit, Christus autem per suos Vicarios amplissimis privilegiis ditavit.

Maria concepit et peperit hanc nobilissimam Rosarii prolem, Dominicus eam nutrit et educavit, Deus autem innumeris miraculis illustravit. Constat ergo ex hoc capite originis et primi eius auctoris, Rosarium esse devotionem valde sublimem et sacratissimam. Concludo verbis S. Ambrosii loco citato: "Si igitur auctor non displicet, opus probemus".

III.

De partibus componentibus Rosarium

Secunda excellentia Rosarii consurgit ex partibus, quibus constat, videlicet Oratione Dominica et Salutatione Angelica; quo enim partes sunt digniores et nobiliores, eo ex ipsis resultat compositum perfectius. Constat autem, inter omnes preces praedictas sublimiorem locum obtinere; ergo etc.

Et quidem de Oratione Dominica nemo dubitat, eam esse omnium excellentissimam, tum propter auctoris summam eminentiam, Christi videlicet, veri Dei, aeternique Dei Sapientiae, tum quia mirabili dispositione composita, omnes perfectiones orationis et universam orandi materiam complectitur, ut fuse declarant expositores Evangeliorum (1).

Haec Oratio Dominica proponitur ab Ecclesia omnibus Fidelibus et praecipitur animarum Pastoribus, ut inter fidei rudimenta illam universos edoceant, et similiter parentibus, ut cum lacte et nutrimento corporis animis filiorum hoc manna coeleste instillent etc. Hanc eandem orationem SS. Patres summis laudibus celebrant omnesque Theologi cum Divo Thoma 2. 2. q. 83. art. 9. dignissimam ac excellentissimam super omnes alias esse constanter docent.

De Salutatione Angelica non dissimilia, docent tum SS. Patres tum Doctores et Theologi communiter. Si quidem prima illa verba: "Ave, gratia plena" sunt Gabrielis Archangeli, ut constat Lucae 1., quando nuntiavit Mariae Incarnationis mysterium, ea vero, quae sequuntur, sunt pariter Archangeli et S. Elisabeth: "Benedicta tu etc.", ut ex consensione horum Sanctorum, ait Ambrosius, Spiritus Sanctus, utriusque salutationis auctor, ostendatur. Elisabeth, etiam Spiritu Sancto plena, pronuntiavit verba sequentia: "Et benedictus fructus ventris tui". In prima ergo parte huius salutationis omnia sunt a Spiritu Sancto dicta et summa pietate referta.

Altera pars eiusdem salutationis addita est ab Ecclesia similiter a Spiritu Sancto edocta, qua petimus a Dei Matre, ut in vita et in morte nos protegat.

Cum ergo partes componentes Rosarium sint orationes omnium perfectissimae, manifeste sequitur, ipsum Rosarium inter omnes formas orandi principatum obtinere.

Item cum partes praedictae sint a Spiritu Sancto dictatae et tota haec devotio Rosarii habeat suam originem a Deipara, Spiritu Sancto superplena, et a Dominico, mirifice ornato donis Spiritus Sancti, sapientiae, consilii, fortitudinis etc., ut constat ex eius gestis, merito S. Pius V. (2) Rosarium appellat "inventum Spiritus Sancti".

Denique cum oratio dividatur in vocalem et mentalem, Rosarium autem ratione precum praedictarum, quae voce proferuntur, sit vocalis oratio et ratione mysteriorum, quae meditanda proponuntur, sit mentalis oratio, sequitur, preces Rosarii esse perfectissimas utpote complectentes utriusque orationis commoda.

IV.

De sacro numero et convenienti dispositione earundem partium Rosarii

Tertia excellentia Rosarii manat a mystico numero precum, quae in eo recitantur, et a miro, quo disponuntur, ordine.

Primo enim Rosarium est unica et tripartita oratio in honorem Dei et Sanctissimae Trinitatis, ad quam principaliter dirigitur omnis vera oratio, sed expressius in Rosario, quod unum est et in tres partes distribuitur tripartito ordine mysteriorum, quae gaudiosa, dolorosa et gloriosa dicuntur.

Item in honorem Deiparae Virginis, et tripliciter Virginis, ante partum, in partu et post partum.

Deinde quaelibet pars continet quinquaginta Ave et quinque Pater. Constat autem, numerum quinquagenarium tum ex veteri testamento (3), tum ex novo, in quo quinquagesimo die a resurrectione Christi venit Spiritus Sanctus super discipulos, pertinere ad Iubilaeum seu remissionem plenissimam, quia per Rosarium tripartitum impetramus remissionem a culpis, a poenis et a miseriis

huius vitae. Quia vero omnis remissio et liberatio nostra originem habet a Sanguine Christi, e quinque eius plagis effuso, quinquies dicitur Pater seu Oratio Dominica.

Tertio singulae partes Rosarii quinque decadibus absolvuntur praemissa unica Oratione Dominica, quia observatione Decalogi seu decem praeceptorum efficimur capaces Iubilaei et remissionis. Praemittitur autem Pater, quia non nostra virtute, sed gratia Dei, quam petimus, ut fiat in nobis voluntas Dei, ad observantiam mandatorum pervenire possumus.

Quarto completum Rosarium quindecim decadibus et quindecim sacris mysteriis absolvitur in honorem completae perfectionis et summi decoris Beatissimae Virginis Mariae, "pulchrae ut luna" quae etiam dicitur "luna perfecta" (4) et "luna plena".

Porro tunc luna dicitur plena et perfecta, quando est in quintadecima; merito etiam plenitudo decoris et gratiarum Mariae hoc numero praenotatur, quia septem donis Spiritus Sancti abunde superfusa et octo beatitudinibus praeclara tota pulchra facta est et absque macula.

Tandem integrum Rosarium centum quinquaginta salutationes Virgineas continet ad imitationem Psalterii Davidici, totidem psalmos complectentis. Sicut enim rex David, egregius divinarum laudum praeceptor, mirabile Psalterium composuit, omni pietate et suavitate repletum, ita et Maria Davidicae stirpis suum progenitorem imitata novum et non minus admirandum Psalterium edidit, quod Rosarium appellamus, eoque recoluntur gratiae, quas abunde in ipsam Virginem Deus effudit: "Fecit mihi magna, qui potens est etc.". Porro eadem mysteria, quae clauduntur in praedicto numero centum quinquaginta psalmorum triplicati Iubilaei pariter continentur in hoc numero 150 Ave, ut videri potest apud expositores Psalterii Davidici, ad quos remittimus lectores, ne iusto prolixiores hic simus.

Solum hoc dicam in solamen oppressorum sub aquis tribulationum, videlicet a Cassiodoro praedictum numerum 150 psalmorum referri ad 150 dies, quibus aquae diluvii occupaverunt terram (5) et post centum quinquaginta dies imminutae sunt aquae, quia recitatione Psalterii Davidici eripimur ab aquis tribulationum; hoc autem a fortiori affirmare possumus de recitatione Rosarii seu Psalterii Virginei; quippe arca, qua, salvae factae fuerunt animae viventium ab aquis diluvii, figura fuit nostrae Virginis Deiparae, qua mediante evaserunt homines a diluvio peccatorum, quod si post centum quinquaginta dies imminutae sunt aquae et consolari coeperunt, qui erant in arca, non dubium,

quod manentes in arca virginea, id est sub protectione Mariae Virginis, post recitata 150 Ave consolationem sentient imminutis aquis tribulationum. Addimus etiam, si aquae tribulationum ad summam excreverint altitudinem, sicuti elevatae fuerunt aquae diluvii quindecim cubitis supra montes, nihilominus devotos Virginis ab eis evasuros illaesos recitatione Rosarii et meditatione quindecim mysteriorum, quae recoluntur in eo.

V.

De mysteriis ineffabilibus recolendis in recitatione Rosarii

Quarta et praecipua excellentia Rosarii derivat a sacrosanctis mysteriis vitae Christi ac Matris eiusdem, ad quae recolenda et contemplanda fuit Rosarium principaliter institutum, quibus nihil sublimius, nihil sanctius excogitari potest. Unde Rosarium dicitur, et vere est admirabile compendium mysteriorum nostrae Redemptionis, in qua miserationes Dei longe superant cetera ipsius Dei opera (6).

Distribuuntur autem in tres classes seu partes Rosarii iuxta ordinem vitae ipsius Christi eiusdemque Matris, ut consideranti patet. Primo enim mysteria Incarnationis, Nativitatis etc. usque ad Passionem, ad gaudium pertinent et maximam nostram consolationem ob miracula et prodigia, quae fecit Christus in salutem nostram quaeque in prima parte Rosarii meditanda proponuntur. Deinde sequuntur mysteria doloris plena, Passionis et mortis eiusdem Christi, ob quae eidem Christo et Mariae compatimur et condolemus in secunda parte Rosarii. Tandem completur Rosarium gloriosis mysteriis et triumphis Resurrectionis, Ascensionis etc. eiusdemmet Christi et Matris eius, ob quae laetamur et gloriamur in Domino, sperantes per Christum nostram resurrectionem et gloriam.

Congruit etiam huic divisioni mysteriorum et partium Rosarii supra insinuata rosarum metaphora, quarum aliquae sunt candidae et typus gaudii, aliae sanguineae et figura martyrii ac dolorum, aliae sunt coloris aurei, quae congruunt gloriae et triumpho. Sic Maria, in cuius honorem recitatur Rosarium, et Rosa est mystica, fuit candida et gaudens in primis mysteriis; sanguinea et dolorosa in secundis, aurea et gloriosa in tertiis. Nos ergo congaudeamus gaudenti Virgini, compatiamur dolenti et gloriosae congratulemur.

Ex quibus manifeste colligitur sublimis dignitas et maxima excellentia Rosarii super omnes alias devotiones. Siquidem aliae piae devotiones, quibus veneramur peculiare aliquod mysterium vitae Christi vel Sanctorum, sunt limitatae quaedam areolae aromatum, ex quibus anima contemplativa peculiare meritum alicuius virtutis colligit vel tenuem fasciculum spiritualium odoramentorum; at Rosarium est hortus spatiosus Sponsi coelestis et paradus deliciarum, continens omnia aromata ac omnes mysticas plantas misteriorum supernaturalium; unde anima deliciis affluit copiosissimis.

Aliae devotiones sunt veluti privata oratoria vel minores ecclesiae, in quibus recolimus et veneramur aliquod particulare mysterium nostrae Redemptionis et confitemur expresse peculiarem aliquem fidei articulum. Caeterum Sacratissimum Rosarium est templum maximum et pantheon augustissimum, non dedicatum, ut olim Pantheon apud gentiles, in cultum omnium inanum deorum, sed in memoriam et venerationem omnium misteriorum verae fidei legisque evangelicae, in quo a devotis Rosarii fit publica et sollemnis professio eiusdem fidei quoad omnes fidei articulos.

Aliae devotiones sunt veluti orbis coelestes inferiores, in quibus dominatur speciale sidus vel planeta, id est speciale mysterium; Rosarium vero est firmamentum supremum, in quo refulget universitas stellarum, hoc est omnia Redemptionis mysteria, ex quibus manant influxus saluberrimi omnium virtutum.

Tandem Rosarium est thesaurus coelestium divitiarum, quae per tripartita mysteria nostrae Redemptionis abunde nobis communicantur; est sacra panoplia armorum spiritualium, quibus per Christum eiusque merita ac vitae mysteria daemones vincimus. Est famosum gymnasium christiana doctrinae, verae sapientiae, in quo Dei arcana huius saeculi sapientibus et prudentibus abscondita revelantur parvulis seu humilibus. Est manna coeleste, habens omnem saporem spiritualis dulcedinis pro varietate misteriorum, quae in Rosario pia meditatione ruminamus. Denique est lac suavissimum, quod eadem mysteria contemplando sugimus ex uberibus Mariae Dei Genitricis utpote auctricis Rosarii (7).

VI.

De utilitate et copiosis fructibus Rosarii

Quinta excellentia est abundantia fructuum, quos Rosarii flores parturiunt recitantibus huiusmodi sacratissimas preces. Ad cuius rei intelligentiam:

Ponderandum est primo, Virginem Deiparam, in cuius honorem haec devotio recitatur, esse potentissimam apud Deum et summae efficaciae ad impetrandas pro nobis gratias; quippe ipsa est dispensatrix thesaurorum Dei secundum illud (8): "Mecum sunt divitiae et gloria, opes superbae etc.", et iuxta vulgatum dictum D. Bernardi: "Omnes Dei gratiae transeunt per manus Mariae". Sic pariter S. Bonaventura in speculo c. 5. ait: "Quia Dominus potentissimus est tecum, o Virgo, tu es potentissima secum; ita ut vere dicere possis: «Et in Jerusalem potestas mea»". Et S. Petrus Damianus (serm. de Nativ.): "Data est, inquit, Virgini potestas in coelo et in terra, et nihil illi impossibile est, cui potestas est, desperatos in spem beatitudinis relevare"; aliique Patres communiter id confirmant.

Ponderandum secundo, ipsam Dei Matrem esse quoque piissimam et misericordiae matrem, atque eo profusius et libentius coelestes thesauros dispensare, quo fideles ad eam recurrentes sunt magis erga ipsam devoti et magis gratum ei impendunt obsequium; unde in Proverbiis, cap. 8: "Ego, inquit, diligentes me diligo, et qui mane vigilant ad me, invenient me".

Cum ergo Rosarium sit obsequium ipsi Virgini gratissimum ex hactenus dictis et sertum ex mysticis eius rosis intextum, pro diademate capiti Mariae impositum: sequitur, devotos Rosarii innumeris bonis et gratiis a liberalissima Virgine cumulari et speciali eius patrocinio gubernari.

Libri autem gravium auctorum, qui de Rosario scripserunt, pleni sunt innumeris gratiis et miraculis, quae fecit clementissima Virgo intuitu huius devotionis, et indulgentiis amplissimis, quas lucrantur recitantes Rosarium, de quibus praesertim agit Navarrus in suis *miscell. Rosarii*, ad quem remittimus lectorem etc.

Addo solum, hanc devotionem Rosarii institutam fuisse a Deipara in memoriam mirabilium suorum et ad imitationem quandam sui Filii. Sicut enim Christus in memoriam suorum mirabilium mysterium Eucharistiae instituit, quo eius corpore nutriuntur fideles, pretioso eius sanguine potantur, sic Virgo ex mysteriis suae et Christi vitae hanc devotionem instituit, quo sui devoti purissimo suo lacte, id est sinceræ devotionis affectu, ex uberibus suae pietatis manante pascuntur et nutriuntur. Et sicut in mysterio Eucharistiae recolitur memoria Passionis Christi, mens impletur gratia et futurae gloriae nobis pignus datur, ita proportionali modo in devotione Rosarii praeter alia mysteria recolitur memoria Passionis Christi et ipsius Virginis cum Christo passae; mens recitantium repletur gratiis et favoribus eiusdem Virginis auctricis Rosarii, et

futurae gloriae illis pignus datur, ut ex multis revelationibus relatis a gravioribus auctoribus colligitur et ex verbis ipsius Virginis supra adductis: "Qui me invenerint, invenient vitam et haurient salutem a Domino".

Confirmatur, quia tripartita recitatione Rosarii huius vitae peregrinationem devote agentes velut triplici itinere triplicique sacra mysteriorum statione cursum laborum consummantes feliciter pervenimus ad requiem et ad coelestem patriam.

Primum enim peregrinationis iter primamque stationem perficimus cum Magis ad praesepe Salvatoris aliaque infantiae Christi mysteria, ibique cum Magis adorantes Salvatorem ac munera nostrae devotionis ei offerentes per aliam viam i. e. per viam virtutum, non vitiorum praeteritorum, revertimur in regionem nostram patriamque coelestem.

Secundum peregrinationis iter facimus cum Maria aliisque piis mulieribus et cum Ioanne ad montem Calvariae, ubi iuxta crucem stationem agentes cum bono latrone audire quisque merebitur: "Hodie mecum eris in Paradiso!".

Tertia tandem itineratio fit a recitantibus Rosarium cum Apostolis ad montem Galilaeae, ubi contemplantes Christi gloriosissimam resurrectionem et summum decorem quoddam initium beatitudinis gustant et eriguntur in spem suae gloriosae resurrectionis et perfectae gloriae in Paradiso. Unde de hoc Apostolorum itinere canit Ecclesia:

Galilaeae ad alta montium
Se conferunt Apostoli,
Iesuque voti compotes,
Almo beantur lumine.

Explicit Punctum duodecimum Sectionis II.: «De Processionibus Ecclesiae» a Ven. Paulo Maria Quarti, Clerico Regulari, compositum.

Rosa Aurea. De Sacratissimo B. Mariae V. Rosario eiusque venerabili Confraternitate deque Rosario tum perpetuo tum vivente. Auctore P. Fr. Thoma Maria Leikes ORDINIS PRAEDICATORUM, PROMOTORE SS. ROSARII PROVINCIAE TEUTONIAE. Cum approbatione superiorum. Dülmen in Guestfalia 1886, pp. 296-308. (a)

Notae:

(1) In cap. 6. Matthaevi.

(2) In Bulla supra citata no. II.

(3) Levit. 25.

(4) Ps. 88, 38.

(5) Genes. 8.

(6) Ps. 144, 9.

(7) Adiungamus ex ipsius auctoris "Tract. de Ss. Bened.": "Sicut Psalterium Davidicum est veluti compendium Scripturarum Veteris Testamenti, ita Rosarium est compendium mysteriorum Novi Testamenti seu recapitulatio totius vitae Christi et eius Matris Mariae. Dividitur autem in quindecim capita iuxta numerum psalmodiarum, qui dicuntur graduales, quia per illa tamquam per tot gradus ad coelum ascendimus".

(8) Proverb. 8, 18.

(a) Cf. 1) P. Ludovicus I. Fanfani OP, [*De Rosario Beatae Mariae Virginis. Historia – Legislatio – Exercitia. Manuale practicum Directoribus Confraternitatum ipsisque SS. Rosarii sodalibus maxime utile et accomodatum \(Różaniec Najświętszej Panny Maryi. Historia – Ustawodawstwo – Praktyki pobożne. Praktyczny podręcznik nader użyteczny dla dyrektorów Bractw jak również członków Różańca Świętego\).*](#)

2) Thomas a Kempis, [*De imitatione Mariae. \(Ex operibus Thomae a Kempis\).*](#)

3) P. Armandus Plessis SMM, [*Manuale Mariologiae dogmaticae.*](#)

4) S. Alphonsus Maria de Liguori, Ecclesiae Doctor, a) [*Opera dogmatica. \(Ex italico sermone in latinum transtulit, ad antiquas editiones castigavit notisque auxit Aloysius Walter CSsR\).*](#) b) [*De Mariae gloriis \(Uwielbienia Maryi\).*](#)

5) P. Joannes Baptista Lohmann SI, P. Victor Cathrein SI, [*Vita Domini Nostri Jesu Christi e quatuor Evangeliiis ipsis ss. librorum verbis concinnata.*](#)

6) Fr. Josephus Calasancius Card. Vives OFMCap., a) [*Summula Summae Theologicae Angelici Doctoris S. Thomae Aquinatis.*](#) b) [*Manuale devotorum Beatae Mariae Virginis.*](#)

7) S. Robertus Cardinalis Bellarminus SI, Doctor Ecclesiae, a) [*Compendium Doctrinae Christianae \(Katechizm mniejszy czyli Nauka Chrześcijańska krótko zebrana\).*](#) b) [*Catechismus, seu: Explicatio doctrinae christianae \(Wykład Nauki Chrześcijańskiej\).*](#) c) [*La Dottrina Cristiana composta per ordine della santa memoria di Papa Clemente VIII*](#) dal ven. Cardinale Roberto Bellarmino. d) [*De prima parte portae domus Dei, quae est fides \(O pierwszej części bramy Domu Bożego tj. o wierze\).*](#)

8) S. Pius Papa V, *Catechismus Romanus ex decreto Concilii Tridentini* (*Katechizm rzymski według uchwały świętego Soboru Trydenckiego*).

9) S. Petrus Canisius SI, Doctor Ecclesiae, a) *Catechismus maior seu Summa doctrinae christianae*. b) *Catechismi Latini et Germanici*.


10) S. Franciscus Xaverius, *Uberrima Symboli declaratio*.

11) Petrus Cardinalis Gasparri, *Catechismus catholicus* (*Katechizm katolicki*).

12) Sac. Petrus Ludovicus Danes, *Institutiones Doctrinae Christianae, sive Catechismus ad usum seminariorum*.

13) *Officium parvum Beatae Mariae Virginis. Małe oficjum ku czci Najświętszej Maryi Panny (pacierze). Według brewiarza rzymskiego w tekstach łacińskim i polskim*. Wstęp i objaśnienia napisał Br. D. K. III Zakonu św. O. Dominika. *Oficjum z zmarłych. Officium defunctorum*. Dodatek: *Msza święta, litanie i różne nabożeństwa*.

(Nota ab ed. *Ultra montes*).



Approbatio.

Iussu Adm. R. P. F. Augustini M. Keller, Vicarii Generalis Provinciae Teutoniae, diligenter perlegimus opus, cui titulus „Rosa Aurea“ auctore R. P. F. Thoma M. Leikes, Ordinis Praedicatorum; nihilque, quominus in lucem edatur, obstare censemus, imo illud usui praecipue Rectorum Ss. Rosarii Sodalitatum valde accomodatum esse iudicamus.

Venlonae, die 10. Maii 1886.

Fr. Antoninus Krautwig, Ord. Praed. Lib. Cens.

Fr. Iosephus M. Keller, Ord. Praed. S. Th. L.

Opus, cui titulus „Rosa Aurea“, a R. P. Fr. Thoma M. Leikes conscriptum et a duobus Patribus Ordinis nostri approbatum imprimi permittimus.

Fr. Augustinus M. Keller, S. Th. L., Vicarius Generalis Provinciae Teutoniae, Ordinis Praedicatorum.

Datum Venlonae, in Conventu nostro „Trans Cedron“
SS. Cordis Iesu, die 15. Maii 1886.

Typis excudi et divulgari permittitur.

Ruraemundi, in festo S^{mi} Sacramenti 1886.

P. J. H. Russel, Can. et Prof.,
Librorum Censor.

Tabula materiarum.

	pag.
Leonis PP. XIII Litterae et effata de Ss. Rosario . . .	1—25
I. Encyclica „Supremi Apostolatus“ 1. sept. 1883	3
II. Litterae ad Magistrum Gen. Ord. Praed. 20. nov. 1883	12
III. Decretum Urbis et Orbis. 10. dec. 1883 . . .	15
IV. Litterae in forma Brevis. 24. dec. 1883. . .	17
V. Encyclica „Superiore anno“ 30. aug. 1884*) .	21
De Confraternitate Sacratissimi Rosarii	27—466
<i>Brevis historia Ss. Rosarii eiusque Confraternitatis</i>	<i>31—115</i>
De origine Ss. Rosarii	31—56
A. S. Dominicus Rosarium primum instituit	31
I. probatur ex auctoritate	31
II. „ ex iis quae de Ss. Ros. institut. leguntur	41
III. „ ex historia.	46
B. S. Dominicus Ss. Ros. Confraternitatis auctor . . .	51
I. probatur ex auctoritate	51
II. „ ex historia.	52
De progressu Confraternitatis ab eius exordio usque ad annum 1350	57—71
I. Statuta Confratern. ex anno 1250	57
II. Confraternitates etc. in ecclesiis Ord. Praed. saeculis 13 ^o , 14 ^o , 15 ^o	60
III. De ingenti numero confratrum primo aevo adscriptorum	65
De lapsu Confraternitatis ab anno 1350—1460	72—80
De renovatione Confratern. saeculo 15 ^o per Alanum	81—88
De gloriosa restauratione Confratern. Coloniensis.	89—101
De Confraternitate ab anno 1475—1800	102—111
De Confraternitate ab anno 1800 usque ad nostra tempora	112—115

*) Decretum Urbis et Orbis, editum die 20. aug. 1885, invenies infra pag. 291 Confer etiam ea quae ex Encyclica „Quod auctoritate Apost.“ d. 22. dec. 1885 inseruimus pag. 464 seqq.

	pag.
<i>De recta institutione et administratione Confraternitatis Ss. Rosarii</i>	116—235
De fine Confraternitatis	116—120
De erectione Confraternitatum	121—154
I. De iis quae in erectione pertinent ad Magistrum Generalem Ordinis Praedicatorum	121
Copia Diplomatis erectionis	126
II. De iis quae pertinent ad loci Ordinarium	132
Statuta ab Ordinario approbanda	135
III. De iis quae pertinent ad Priores Ord. Praed.	138
IV. A. De Capella seu Altari Ss. Rosarii	139
B. De Imagine Capellae	142
V. De modo et forma erectionis	147
Processus Verbalis erectionis	151
De sanatione Confraternitatum Ss. Rosarii	155—164
Processus Verbalis renovationis	163
De iuribus Confraternitatum Ss. Rosarii	165—174
De administratione Confraternitatum	175—193
Rituale Confraternitatis	194—199
I. Ritus solemniter recipiendi Confratres	194
II. Benedictio Rosariorum	195
III. Benedictio Candelarum	197
IV. Benedictio Rosarum	197
V. Absolutio in articulo mortis	198
VI. Benedictio Imaginum Ss. Rosarii	199
De sodalibus recipiendis	200—210
De confratribus et sororibus Confraternitatis	211—218
De organisatione speciali Confraternitatis	219—226
De caritatis operibus, specialiter de consoribus dotandis	227—234
<i>De recta et pia Rosarii persolutione</i>	235—275
De nominibus Ss. Rosarii	235—239
De rosariis benedictis et benedictis	240—256
De rosariis a Summo Pontifice benedictis	250
De rosariis Hierosolymitanis	252
De rosariis per Crucigeros benedictis	252
De precibus vocalibus Ss. Rosarii	257—260
De mentali Ss. Rosarii oratione	261—272
Modus recitandi Ss. Rosarium in Ordine Praedicatorum consuetus	273—275
<i>Laudes Ss. Rosarii eiusque Confraternitatis</i>	276—336
De excellentia Ss. Rosarii	276—283
Pius IX. et Rosarium	284—289
Leo XIII. et Rosarium	290—293

	pag.
Episcopi et Rosarium anno 1883	294—295
Pauli Mariae Quarti tractatus de Ss. Rosario	296—308
De excellentia Confraternitatis Ss. Rosarii	309—315
Victoriae virtute Ss. Rosarii reportatae	316—323
A Sanctis colitur Ss. Rosarium	324—328
De miraculis Ss. Rosario patratis	329—335
<i>De indulgentiis et privilegiis Confraternitatis Ss. Rosarii</i>	337—466
I. De valore Summariorum Indulgentiarum Confraternitatis	338—340
II. Indulgentiae et privilegia Confratern. revocari non possunt, nisi facta de iisdem speciali mentione	341—343
III. De communiione indulgentiarum	344
IV. De communiione privilegiorum	344
V. De indulgentiis Confraternitati concessis ab Innocentio VIII. et Alexandro VI.	346—356
VI. De indulgentia „Toties-Quoties“	356—363
VII. De indulgentiis in Hispania concessis	363—364
VIII. De indulgentiis pro confratribus infirmis etc.	365—367
IX. De monialibus et in collegiis conviventibus	367—368
X. Indulgentiae omnes applicari possunt defunctis	368
XI. De translatione indulgentiarum	369—370
XII. De translatione Festi Ss. Rosarii	370—372
XIII. De conditionibus communibus pro indulgentiis lucrandis	372—377
Summaria Indulgentiarum Confraternitatis Ss. Rosarii	378—430
A. Summarium Innocentii XI.	378
B. Summarium Benedicti XIII.	407
Breve Pii VII. „Ad augendam“ d. 16. febr. 1808	409
Decretum S. C. I. iussu Pii IX. editum d. 12. maii 1851	413
C. Summarium Pii IX.	416
Calendarium indulgentiarum Confraternitatis	431—447
De privilegiis Confraternitatis	448—462
I. De participatione bonorum spiritualium	448
II. De altari Confraternitatis privilegiato	450
III. De Missa Ss. Rosarii privilegiata	456
Formulare huius Missae	459
Finis tractatus de Confraternitate Ss. Rosarii	463—466
<i>De Societate Rosarii perpetui</i>	467—496
Brevis historia huius societatis	469
Pii IX. Breve „Postquam“ d. 12. apr. 1867.	473
De fine Rosarii perpetui	478

	pag.
De forma Rosarii perpetui	485
De Hora annuali	486
De Hora mensuali	494
Indulgentiae Rosario perpetuo concessae	495
De Sodalitate Rosarii Viventis	497—534
De origine huius Sodalitatis	499
Gregorii XVI. Breve „Benedicentes“ d. 27. ian. 1832	501
De fine Sodalitatis Rosarii viventis	502
Nova Sodalitatis organisatio	504
Pii IX. Breve „Quod iure haereditario“ d. 17. aug. 1877	505
Supremi Moderatoris super Rosario vivente declarationes	508
Hierarchia Rosarii viventis	512
Regulae pro distributione Mysteriorum	519
Privilegia et indulgentiae Sodalitatis	523
Summarium indulgentiarum Ros. viv.	524
Synopsis et Kalendarium earundem	527
Festa Sodalitatis	530
Consuetudines quaedam communes	531
Appendix	535—556
I. Devotiones quaedam ex Rosarii Confraternitate natae	537—541
A. Devotio XV. Sabbatorum	537
B. Devotio XV. Feriarum tertiarum	537
C. Devotio Mensis Octobris	538
II. Summarium indulgentiarum pro obiectis a Rom. Pontifice benedictis	542—547
III. Ordinationes pro Ss. Rosario editae a Capitulo Generali Ord. Praed. 1885	547—549
IV. Series Bullarum etc. Apostolicarum et Decretorum S. Congr. in favorem Confraternitatis Ss. Rosarii	550—555
Index rerum alphabeticus	557—560

LEONIS PAPAE XIII.
PONTIFICIS MAXIMI
LITTERAE ET EFFATA
DE SS. ROSARIO B. MARIAE V.



([HTM](#))